GAMELIA

Festivis Nuptiarum honoribus

Nobilissimi, Amplissimi, & Doctissimi,

DOMINI

JOHANNIS à Baumgarten/

Secretarii Reipubl. Thorunensis

celeberrimi,

Et

Virginitatis ac pudicitiæ dotibus clarissimæ

VIRGINIS

ANNÆ JUSTINÆ KNIPPELIÆ,

die 21. Septembr. Anno 1694.

feliciter peractis,

applaudit

GREGORIUS PROXIUS,

Thor. Bor.

THORUNII,

Imprimebat Johannes Balthasar Bresler.

FElix ille, Dei qui captat juſſa per aures,
Et promptus roſeo quod jubet ore probat.
Felix ille, Dei qui paret legibus, omnem
Ac vitam turpi crimine purus agit.
Felix! ô felix, quem non vitioſa libido
Allicit, & vexat flagitioſa Venus.
Nam Deus, ut mens eſt pia, caſtaq́, labis & expers,
Et gravat immenſis impia corda malis:
Sic favet & caſto caſtis ex ſanguine natis,
Adjicit ex animo, quod petiere ſuo.
O fortunatos! ô terq; quaterq; beatos!
Qui vivunt vitiis & ſine labe dies.
Qui cupiente Deo, cœlorum præſide fiunt
Et duce ſupremo conſociante, pares.
Illi felices, inquam, ter & amplius illi,
Quibs Deus in cœlo copulat ipſe duos!
Exemplo, Neonymphe, tuo res ipſa pateſcit,
Sponſeq; Pierii pars veneranda chori.

Dic

Dic quoties flexo pede verba precantia dixti?
Dic? quoties ſacros fundis ab ore ſonos.
Formoſam ut ſociam virtutis & artis amantem
Duceret in thalamum, Sponſe, Jehova, Tuum.
En, Deus admiſit captans pia vota per auras,
Et pondus fuſas juſſit habere preces.
Ac thalami ſociam fauſto Tibi fœdere jungit,
Et comitem vitæ nectit amore Tibi.
Hæc ipſa eſt pietas, eſt ipſa modeſtia, quæ vix
Ulla datur Phyliris repperiunda ſolo.
Hæcce puellarum decus eſt, in cujus ocellis
Virtutis radios emicuiſſe vides.
Hæc Tibi ceu Conjux parebit recta monenti:
Et tua quæ fieri juſſa jubebis, aget.
Te ſolum cupiet; Te nuptum diliget unum,
Te cupiet ſolum, Te ſinet eſſe caput.
Haud ſcio num meliore queant duo pectora nexu
Vinciri, Sponſo quàm nova nupta Tuo.
Ambo florentes, ætatibus ambo venuſti,
Moribus & ſtirpis conditione pares.
Nec melius pulchris ſtant lilia mixta roſetis,
Quàm tali talis juncta Virago Viro.
Gratus odor Libani, Caſiæ, thurisq; Sabæi,
Et quæ præterea Pharmacopæus habet:
Gratior ac multo caſtæ fragrantia tædæ,
Quem nova nupta Viro conſociata tenet.

O par

O par Conjugium paribus quod nititur ulnis!
O ſors vix ullis æquiparanda bonis!
Sponſe tuâ dignus Sponſâ, Tu Sponſaq; Sponſo
Digna, pares animis & pietate pares.
Vivite concordes, veſtro pax aurea lecto
Aſſideat, palmis undiq; cincta ſuis.
Vivite Neſtoreos ô Sponſe & Sponſa per annos,
Quos hodie ſacro fœdere junxit Hymen.